

notionem habere potest, perinde ut τὸ τὸν λόγον συναΐσαι collatio Domini cum servis suis, non conferre sermonem, quod praeter dicentis Sp. S. intentionem foret, sed conferre rationes, inire numeros significat. *Matth. XVIII, 23.* Haec supputandi notio influit etiam in verbum derivatum λογίζεσθαι. Observant enim eruditi interpretes Loco *Rom. II, 18.* τὸ λογίζομαι non simplicem opinionem aut conclusionem, sed ex certis datis numeris susceptam computationem denotare. Bene hic LEIGHIUS: denotat reductionem multarum summarum in unum, in unam aliquam summam, quemadmodum ex duobus denis numeris collectis fiunt viginti: Et porro: omnes rationes crucis subdixi, & collegi omnes computationes afflictionum, & sic inveni illius summam, quam mihi reservo & eligo. Et in hanc sententiam interpretantes hanc vocem adducit BEZAM, aliosque, quibus multo potiori jure nostros longo ordine recensendos anteferimus, quandoquidem BEZAM cespitantem hic esse oportuit, ubi semel doctrinam de Praedestinatione sanam corrumpere animum induxit.

VIII.

In subsidium hic merito vocatur sedes prima hujus oraculi classici nimirum *Es. X, 22. 23.* ex eo enim capite huc transducit illud Sp. S. probationis loco, ut appareat, neque ipsum Scripturae autorem puduisse Parallelismi sacri, nec etiam pro incongruo habuisse, quod hodie novaturientibus tale apparet, Scripturae auctoritatem ex Scriptura, & unius loci veritatem ex alterius consensu probare atque deducere. Ibi enim vox רבר non invenitur, sed Phrasis adhibita חרוץ כליון abbreviatam computationem antea perfectam, procul dubio notat, cujus rei testem instar omnium B. VARENIUM adducimus, qui pro summa judicii, qua polluit, facultate, vim istius vocis כלה bene expressit ac declaravit ac τὸ כליון consum-

sum-